2

8

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM MEDICAM

De

SUCCINO

35

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ

Consensu

In Illustri Salana

PRÆSIDE

DN. THEODULO KEMPERO,

Medicinæ Doctore,

publico Philiatrorum examini submittit

AUTOR

Gottfried Wilhelm Blumenberg/ Schneeberg.

in Auditorio Medico

horis consvetis

ad diem XX. Decembr. M DC LXXXII.

JENÆ,

LITERIS KREBSIANIS.



PROOEMIUM.

INter omnia, quæ remediorum loco ad immensam morborum cohortem mortalibus indulsit divina bonitas, nulla majori se commendant efficacia, quam quæ ex terræ visceribus eruuntur, & generali Mineralium titulo veniunt. Unde quoque ea in tantum hodiè præ reliquis extulére caput, in quantum, ut Poeta canit,

--- lenta solent inter viburna cupressi.

Et quidni mineralia præstantiâ superent reliqua & vegetabilia & animalia, quippe quæ, quicquid habent virtutis, à terra mutuò quasi accipiunt. In terræ enim gremio concentratæ delitescunt tales particulæ, quæ diversissimarum virtutum medicamentosarum vera ac unica principia existunt, quæque exinde succis nutritiis variis permistæ in vegetabilia pariter ac animalia demum parciori vel liberaliori manu dispensantur. Præter itaque meritum plurima ex minerali regno apud Veteres Medicinæ proceres malè audiebant ac cane pejus & angue fugiebantur. Licet enim venenositate subinde suspecta esse soleant, illa

tamen vel nulla omninò est, vel pyrotechniæ ope mitigari adeò ac tolli potest, ut nec ullum planè nocumentum ab ea metuere debeamus. Et mirum sanè est, eos, qui mineralia plusquam Vatiniano prosequebantur odio, sibi adeò temperare non potuisse, ut ab eorum usu abstinuerint, quin potius summis nonnulla extulerint laudibus. Prodeat in scenam & dictorum fidem faciat *Succinum*, cujus egregios in variis morbis usus omnium ætatum Medici non satis deprædicare potuêre. *Val. Cordus in Dioscoridem* illud inter præcipua numerat, quæ Deus ad hominum usum condidit. Remedii itaque hujus reverà polychresti, auroque & ostro carius habendi dignitas me quoq; ad intimiorem sui pervestigationem non tam invitavit, quam pertraxit. Quare naturam & dotes ejus eximias fusius paulò præsenti dissertatione exponere animo constitui. Quod ut feliciter cedat,

adspiret, quæso, Deus & fortuna labori.

CAPUT I.

De
Succini etymologia, origine, essentia & differentiis.

§. I.



Nntequam ipsius Succini penetralia investigemus, nomina, quæ τὰ τῶν ὄντων νοήματα haud præter rem dicuntur, brevissimis perlustrare animus est. Dicebatur Succinum à *suc-*

eo, quod ex eo contretum ſit, & hanc denominationem ad noſtra uſque tempora retinuit. Græcis vocatur ἤλεκτρον it. *Dioſcor. l. 1. c. 98.* audit χρυσοφόρον, quod aurum colore æmuletur. Eidem, ut & *Theophraſto de gemmis*, dicitur etiam λυγκούριον *ſ. Lyncis urina*, ſiquidem ejusdem congelationem eſſe non nulli credidêre; Aliis πτερυγοφόρον, quod plumas ad ſe trahat. Uſitatiſſimum etiam in ſcholis Medicis eſt vocabulum Arabicum *Carabe*, cujus natales ex lingua Perſica arceſſit *Avicenna*, quaſi rapiat paleas; Celeberrimo tamen *Borrichio lingu. Pharm.* videtur etiam Græcis ſic appellatum eſſe ſuccinum, quod καρηβαρίαν *Coo* ſic dictam, ſeu capitis gravedinem tollat, à καρὴ & βαρὺς; vel etiam, ut alii volunt, εἰς κάρα βῆναι, unde Carabo piſci natales. Italis *Ambra gialla*, Gallis *l' Ambre jaune* dicitur. Veteribus Germanis *Gleſſi* nomine veniſſe, (forſan quod vitrum pelluciditate æmuletur) autor eſt *Cornel. Tacit. German. c. 45.* Noſtris temporibus communiſſimè vocatur Börnſtein / vocabulo corrupto, originem ducente à βερενίκη, quô *Euſtathius* & *Homerus* ſuccinum noſtrum notârunt. It. Agtſtein. Alia nomina, ut Ambarum, Gagates, & ſimilia, cùm ambiguitatem tantùm & errorem involvant, conſultò omittimus.

§. II.

Ad originem ſeu locum natalem ſuccini quod attinet, reperitur illud, ſi non in omnibus, tamen pleriſq; orbis terrarum partibus, quod veteres & recentiores teſtantur ſcriptores. In iis verò ſingulis recenſendis & examinandis prolixi non erimus, cùm hanc operam ſibi ſumſerit Clariſſ. *Philip. Jacob. Hartmannus hiſt. ſuccini Pruſſic. naturali & civili l. 1. c. 1. §. 2. & ſeqq.* Ex Europæ regionibus Septentrionales maximè hoc abundant theſauro. Sic refe-

rente *Scheffero in act. Philosoph. Soc. Reg. Anglic. num. 19.* in Svecia circa oras insulæ Biorkoo in Melearo, lacu aquæ dulcis, reperitur. Idem certum est de Dania, in qua subinde succini frusta deprehendi, & quidem inter fodiendum fossam Hafniensem, testes αὐτόπται perhibuerunt. His tamen, ut omnibus regionibus succiniferis palmam præripit Germania; hæc enim tùm in locis mediterraneis, tùm maritimis succina suppeditat copiosissimè. Alia ut taceamus, Saxonia etiam nostra illis non planè destituitur. Nam si *Aldrovando* fides tribuenda, & nisi si succinum cum *Agricolæ* terreno bitumine, quod si densatum & politum, Gagates dicitur, confuderit, in Misniæ celebri monte à carbonibus dicto, qui non longè à Cygnea abest; & propè Dresdam etiam, succinum fossile repertum est. Prope Wittebergam succini frusta inventa esse perhibet *B. Ludov. Ephemerid. Germ. an. IX. & X. obs. 36.* Islebiæ itidem Thuringiæ civitate non ignobili massam succini magnitudine caput humanum adæquantem quâdam in fodina erutam fuisse idem asserit *Aldrovandus.* Præ ceteris verò maritimis regionibus succini divitiis abundat Prussia tota, tam in locis mari proximis, quam ab eodem remotis, adeò ut haud abs re huic regioni fundum succineum esse dixeris. Undique enim locorum collecta aut afferuntur, aut ostenduntur succina, eaque non unius, nec vilis coloris, testante *Hartm. l. c. §. 9.* Cumque Prussiæ situ vicina sit Pomerania, de opulentia quoque succini participat; ibidem enim pariter non parva ejus copia tùm in littore, tùm extra illud, in collibus arenosis, & quando effodiuntur putei, invenitur.

§. III.

Ante verò quam essentiam succini indagemus, necessum erit considerare, quo pacto in dictis regionibus, Prussia

sia

ſia imprimis, inveniatur. Duplici verò in genere modo id fieri ab Autoribus memoratur. Vel enim ex terra ſicca, inſtar aliorum mineralium, fodiendo eruitur, vel ex aquis hauritur, præcipuè marinis. Ex terra effoditur ſuccinum nunc caſu fortuito inter fodiendum puteos, ducendum foſſas, arandum &c. nunc de induſtria ex certis locis, in quibus copiosè deliteſcere certis ſignis cognoſcitur. Loca verò illa propria, ex quibus datâ operâ eruitur, quæque primus fortaſſe & omnium accuratiſſimè detexit ac deſcripſit ſæpies laudatus *Hartmannus loc. c. l. 1. c. 3.* (ex quo hæc & ſequentia mutuare liceat) ſunt venæ peculiares, inſtar aliarum venarum mineralium per terram procedentes. Harum aliæ ſunt luteæ ſ. lutoſæ, aliæ ligneæ, quibus nonnulli addunt & arenoſas, quarum ſingulæ maximè inveniuntur in littore Sudavico, vel ea parte Pruſſiæ, quæ hodie Sambia vocatur, quæque regio exinde meritò ſedes ſuccini propria dicenda. Vena lutea tenaci atque pingui luto cœruleo conſtat, quod à reliquo luto ſuccino experte colore diſtinguitur, & ubicunque reperitur, non tantum ſuccino ſemper abundat, ſed bituminoſam vim luculenter exhibet; pinguedinem enim peculiarem habere videtur & odorem minus terreſtrem. Vena lignea duplex obſervatur, alia imperfectior, alia perfectior. Imperfectior terram præbet in extima ſuperficie, quæ ſoli expoſita eſt, griſei coloris, interius verò piceæ nigredinis, quæ ex magnis quaſi & lævibus nitidisque cruſtis concreta cortices lignorum imitari videtur, & diffracta in pulverem continuò abit. Perfectior autem ejus coloris nigricantis terram fert, magis tamen coagmentatam, quæ ſpecie ligni, quod putredine emollitum, fallit, licet nil niſi terreum in ea ſit percipere, diffracta enim in fruſta quidem prius, ſeu fragmenta quaſi

ligni,

ligni, paulò tamen poſt in pulverem reſolvitur. Arenoſam venam non admittit Autor ſupra laudatus, cùm nulla terra pinguis intra arenam, in qua ſuccinum quandoque deliteſcit, reperiatur, quamobrem unicè maris alluvione fieri exiſtimat, ut in littore ſuccina arenis tumulentur, ex quibus poſtea eruuntur. Dictis venis ſuccinum inhæret, & tùm à luto, tùm ligno arcte ab omni parte quaſi cameris incluſum, comprehenditur, ut ex illis bipalio effoſſis fruſta nunc majora nunc minora eximi poſſint. Terra verò ipſa lignea, ſi quoad qualitates conſideretur, picea primùm tenaci vi manus inficit easque denigrat, ut hoc modo bituminoſi aliquid ineſſe ſenſibus pateat. Deinde fornacibus calentibus admota fœtorem excitat, odoremque ſpirat nitrum vitriolo & ſulphure permixtum referentem. Aqua exinde deſtillata ſulphureum aliumque intolerabilem fœtorem excitat, ſimulque aliquot olei guttas oſtendit, inſtar olei pini lentas ac tenaces. Idem lignum ſi incendatur, non quidem flammam concipit, ſed ignem adeò tectè ſervat & fovet, inſtar fomitis gliscendo & penitius ſubinde, ut videri non queat, ſe recipiendo. Inveniuntur venæ dictæ præprimis in montium maritimorum dictæ Sambiæ jugis, ita tamen, ut undique arenâ cingantur, ex quo fit, ut difficillimus & periculoſus admodum ſit ſuccini fodiendi modus, ob lubricum & fallax montium ſolum. Neque tantum in montibus ad littus ſitis venæ dictæ reperiuntur, ſed etiam in continentem terram longè à littore excurrere obſervantur. Ex aquis deinde non uno etiam modo colligitur. Alter eorum vulgaris eſt, quo ab æſtu & tempeſtatibus maris ejectum inter lapillos & arenas oræ maritimæ ſeligitur, vel etiam ex ſicca alga extrahitur; alter quo retibus ſingulariter hunc in uſum contextis in angulis littoris, ubi vada

ſunt,

ſunt, hauritur, & eô quidem maximè tempore, quando ventorum ſæviſſimæ & impetuoſiſſimæ procellæ mare turbant & decumani fluctus ad littus æſtuant. Succinum hoc modo ex aquis collectum ſpeciatim *hauſtile* dicitur. Peculiaris etiam olim modus erat, forcipibus ex aquis extrahendi ſuccinum, quod exinde forcipatum audit *Wigando* & aliis, qui tamen modus hodie abolevit.

§. IV.

Cognitâ ſic origine ſuccini, natura ejusdem atque eſſentia nunc longè accuratiùs quam hactenus factum, oſtendi poterit. Quæ enim veteris & recentioris ævi ſcriptores de ea literis conſignarunt, vel fictitia & planè ac plenè falſa ſunt, vel dubia ſaltem & ſubleſta, nullisque experientiæ ſubſidiis munita. Ut ſtrictim eorum potiora perſequar, quam vana atque futilis fuit eorum ſententia, qui animalium variorum excrementa ſuccina eſſe ſtatuerunt, e. g. elephantis, phocarum, cetorum ſemen, lyncis urinam? Probabilitate quoque magis quam veritate ſeſe commendabat olim *Plinii* & veterum pluſculorum opinio, ſuccinum arboris cujusdam eſſe ſuccum, cui *Tacitus* præ cæteris ſubſcribit *German. c.* 45. quando illius mentionem facit, quod in dextro maris Svevici littore à Germanis colligitur. *Nec*, inquit, *quæ natura, quæve ratio gignat, ut Barbaris, quæſitum compertumve. Diu quin etiam inter cetera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen, ſuccum tamen arborum eſſe intelligas, quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicita humore, mox dureſcente materia, clauduntur. Fœcundiora igitur nemora lucosque, ſicut orientis ſecretis, ubi thura balſamaque ſudantur, ita occidentis inſulis terrisve ineſſe crediderim, quæ vicini ſolis radiis expreſſa atq; liquentia*

in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa littora exundant. Quo sine dubio etiam *Ovidius* respexit, quando *l. 2. metamorph. fab. 5.* finxit Heliades Phaetontem lugentes in arbores versas ad ripas Eridani stillare in hujus aquas succinum, ita canens:

Inde fluunt lachrymæ, stillataq; sole rigescunt
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuris mittit gestanda Latinis.

Frustra quoque alii tùm Historici, tùm Philosophi, ex quorum numero ipse etiam *Aristoteles* est, peculiares arborum succiniferarum species commenti sunt, ut *populum, alnum, cedrum,* maximè omnium verò *pinum,* cujus ingens copia in littoribus maris, ubi succina leguntur, nascatur; siquidem testes αὐτόπται, *Gœbelius, Wigandus & Hartmannus* confirmant in toto Sudavico littore dicto, ubi succini ingens copia hauritur, nec reliquarum arborum proventum, nec ullas aut raras pineas silvas notari, utut mediterranea regio illis satis sit instructa, vid. *Hartm. l.c. l.2. c.1. §.7. p.175.* ubi pluribus etiam dicta sententia refutatur. His adde, quæ contra eandem disputavit *Agricola lib.4. de nat. fossilium p.m. 238.* Neque satis firmo stat talo eorum assertum qui succinum fundi maris exudationem esse putant, quod innuere videtur *quæst. IV. Societ. Anglic. Hevelio transmissa Transact. 19. p. 283.* Qua cum etiam convenit *Agricolæ lib. cit. & Kircheri* sententia, *mund. subterr. tom. II. l.8. sect 3. c.3.* ubi succinum vocat bitumen subterraneum ex appropriatæ materiæ terrestris matrice per fundum maris scaturiens sub forma melleæ substantiæ molle & liquidum, quod mari concreditum, ibique ad littora appulsum, innata solis aerisque siccitate in lapideam substantiam concrescat. Etsi enim bituminosæ naturæ sit succinum, ut paulò post dice-

dicetur, nunquam tamen vel ex terra effossum, vel ex mari haustum liquidum est deprehensum, sed semper durum & rigens, quod aliquando, rarenter tamen, particulas molles inter sese fovet & complectitur. Ut taceam nec liquabile esse instar aliorum bituminum. Præterea neque unquam scatebræ vel in mari vel littore observatæ sunt, ex quibus profluat, vel in mare derivetur.

§. V.

Ut itaque vera natura & essentia succini, quæ ex origine suprà dicta fluit, pateat, nemo sane illud Mineralium, & in specie, Fossilium classi, annumerandum esse negatum ibit, cùm ex terræ cortice non minus atque alia fossilium genera eruatur. Ad quàm verò eorum speciem referri debeat, iterum in diversas Autores abeunt sententias, alii enim bitumini, & quidem liquido, ut *Kircherus*; alii lapidibus annumerant. Sed optimè utrumque conjungitur & succinum *lapis bituminosus* vocatur, cum & lapidis & bituminis affectiones in eo conjunctim reperiantur, neutrius verò seorsim. Lapidem perfectum esse succinum, durities ejus satis superque testatur, utpote quæ tanta est, ut mortaria ignivoma exinde parari & non simplici, sed repetitis vicibus citra læsionem explodi possint. Immò nonnunquam artifices succina offendunt ob duritiem nimiam instrumentis nullo modo tractabilia, nisi igne quodammodo emolliantur, referente *Hartm. l.c.* Deinde alterum lapidum attributum, quod non sint ductiles, quo à reliquis fossilibus distinguuntur, in succino toto die observare licet. Neque asserto huic, lapidem esse succinum, obstat, quod quandoque molle inveniatur, ut sigillum impressum recipiat, sed idem lapidibus tantum non omnibus, qui post rerum creationem generantur, accidit, ut nimirum ex liquido prius

 corpo-

corpore concreverint. Id quod, fusius demonstravit πολυμαθέστατος *Borrichius Actor. Hafniens. Vol. V. observ. LXXXI.* dum aquam communem quamvis, etiam maximè insipidam & pluviam, tanquam corpus fluidum, causam materialem lapidum existere, efficientis vero titulum arctiorem illam particularum aquæ in locis tranquillioribus quietem obtinere, exemplis atque experimentis plurimis ad oculum ostendit. Illustris quoque *Boyleus tract. de gemm. orig. & virt. p. 3.* prolixè probat, gemmarum, quamvis durissimarum, pelluciditatem omninò requirere, ut prius fuerint liquidæ, cùm aliâs particulæ eam dispositionem non possint obtinere, quæ perspicuitatem efficit, & juxta *SengVVerdium Phil. nat. p. III. c. 13.* talis est, ut particularum ramuli arctissimè sibi invicem implicati recta interstitia seu poros, eosque copiosissimos efforment. Proinde non adeò abs re laudatus sæpius *Hartmannus* succinum pellucidum *Gemmam* vocat, cum gemmarum proprietates eidem accuratè conveniant.

§. VI.

Bituminosum verò esse succinum & sensus & ratio docent. Odor enim ejus ad reliqua bitumina, tùm liquida tùm concreta, petroleum, pissaspaltum, proximè accedit, & inflammabilitas omnibus communis est. Idem à priori quoque testantur venæ *supra* §. 3. descriptæ, quæ & viscositate bituminosa manifestè gaudent, & oleum simile lentum ac tenax instar olei pini per destillationem fundunt. Oritur autem succus ille viscosus & bituminosus, qui terram seu lutum venarum imprægnat, ex succo subterraneo oleoso, (quem ex particulis ramosis flexilibus & subtilissimis copiosis constare putat *Cartes. Princip. Philosoph. p. IV.* §. 69. & 76. & *SengVVerd. l. c.* §. 7. quique sulphur & reliqua

bitu-

bitumina constituit) à ⊖linis acidis particulis inviscato. Acidum enim particulis oleosis junctum texturam earum viscidam magis ac resinosam reddere, experimenta demonstrant, quæ ex Doctore *Grevv* adducit *Autor philosoph. veter. & nov. Phys. p. 2 tr. 3. qu. 4.* nempe oleum oliv. cum ⊖lis digestum primiter medullæ colorem, mox adipis & butyri consistentiam △e admoto liquabilem adipisci; consimili ratione ⊖li oleo anisi guttatim affusum & accuratè mixtum resinam producere perfectam. Ex quibus omnibus animo probè pensitatis probabiliter satis colligere est, succinum generari in terra solida, quatenus particulæ dictæ oleosæ in venis supra descriptis præsentes (sive illuc vi ignium subterraneorum eleventur, seu alio modo ibidem colligantur,) cum salis acidi subterranei ramentis in vehiculo aqueo solutis, ac subtilibus terreis, à reliquis in fluorem actis, coeunt, & quiete loci invitante, à turbatione agitationeque majori liberæ secundum æqualitatem superficierum complanantur, adeoque ex fluiditatis statu in firmum transeunt & lapidescunt. Neque alio forsan modo succini productio in mari contingit, quam quod similes venæ succiniferæ per illius fundum procedant, quæ si ab impetuoso incumbentis aquæ motu evertantur, succina quoque à matre quasi avelli & ad littora provolvi necessum est. Quod etsi non experientiâ oculari, tamen ex eo, teste *Hartmanno*, probari posse videtur, quod sæpius algæ species succino radicibus inhærescat.

§. VII.

Differentiæ succini variæ sunt, quarum pleræque à variis ejusdem affectionibus oriuntur. Ratione loci, in quo reperitur, aliud dicitur *haustile*, quod è mari hauritur, aliud *fossile*, quod è terræ venis fodiendo eruitur. Ratione consisten-

ſtentiæ quoq;aliud,licet rarius,invenitur *molle*,aliud *durum*. Verum hæc differentia ſuccino non competit tanquam perfecto & omnibus, quod ajunt, numeris abſoluto,ſed ſolummodò perfectionis gradum indigitat. Molle enim imperfectius eſt & immaturius, cujus particulæ ſecundum læves & æquales facies nondum arctius conjunctæ ſunt, aut mutuis complexibus coaluerunt.Et hinc eſt,quod particulæ ſuccini molles duris immixtæ reperiantur, autore *Hartm.* non aliter ac de gemmis nonnullis, achate, chryſtallo,obſervavit Celeb. *Borrichius l.c.* ipſas in medio ſui,tanquam in gremio,pellucidiſſimæ aquæ guttas continuiſſe ſurſum deorſum mobiles. Durum autem eſt, quod perfectionem debitam acquiſivit,ſeu cujus particulæ ſibi invicem ſecundum latera congrua agglutinata ita obriguerunt, ut difficillimè iterum disjungi poſſint.Et quamvis,ut ſuperius dictum,calore quodammodo rigor ille mitigari poſſit,ob particularū oleoſarum flexibilitatem,quâ naturâ pollent: nunquam tamen citra additamenta, niſi ſummo ignis exceſſu, ac cum deperditione particularum integrantium, liquari poteſt, quod inter alios obſervavit *Denys Papin in digeſtore novo, vid. Act. Erudit. Lipſienſ. Nro. VI. p. 109.*

§. VIII.

Colorum ratione variat quoque maximè ſuccinum; pro varia enim particularum componentium proportione atque miſtura omnes ferè colores in eo reperiuntur, ut diverſorum horum intuitu ultra centum & octoginta genera numerari posſint,autore *Hartm. l.c.* Vulgo ordinariè magis triplicis coloris putatur ſuccinum, *flavum* primò ſeu fulvum,quod etiam aureum, ac communisſimè *Svalternicū* appellant,ſecundò *album* ſeu candidum, & tertiò *nigrum*. *Fulvus ſeu aureus* color haud dubiè originem ducit à parti-

culis

culis ☍osis ♀reis pinguibus, ex quibus maximam partem conflatū est succinum. ♀ris enim non adeò ab acidis salinis particulis immutati textura fundamentum præbere solet utplurimū tali lucis reflexioni, quæ flavescenti colori producendo idonea est. *Albicans* verò succini Color haud aliunde, quam ab acido salis marini succo per venas succiniferas tàm in mari, quã littore disperso, & cum ☍sis dictis particulis majori copiâ commixto dependere videtur, à qvo harum textura immutatur, & albicans exinde oritur color. Rem ita esse persvadet à posteriori experimentum *Schrœderi Pharm. Medic. Chim. l.3. p.30.* Si succin. flav. pj. & ⊖lis com. pij. cucurbitæ ▽eæ indantur, affundatur ▽æ pluv. q. s. & mixtura hæc imposito ⋇ cœco coqvatur ad tempus, succini Color aureus mutatur in candidum.} Vid. idem experimentum apud *Juncken Chim. experiment. cur. p. 273.* Utrum verò medico usui magis conveniat, disceptant Autores, & alii album, alii flavum eligunt. Nos cum *B. Ludovico Pharmac. diss. 1. p. 645.* flavum pellucidum albo meritò præferimus, tùm quod minus carum, tùm quod pars ♀ea in eo minus imminuta sit, nisi si forte adstringendi fine albo magis uti velis. Nigrum & opacum impurum est ob copiosam particularum ▽earum misturam, proinde ad medicos usus haud aptum. Reliqui, qui in succino deprehenduntur colores, particularum metallicarum in ⊖libus latitantium tincturæ debentur, siquidem & ⊕lum & metallorum frustula in venis succini reperta sunt, ut de aliis mineralibus, ⊕tro &c. taceamus. Non minus enim hoc succino, quam reliquis gemmis competit, quæ ab admixta e.g. ferri, cupri, tinctura, colorem viridem, coeruleum, rubicundum &c. unicè obtinuerunt, quod gemmæ artificiales ad oculum demonstrant.

CAPUT II.

De Partibus ſuccini integrantibus, & medicamentis potioribus exeo paratis.

§. I.

EX iis, quæ ſuperiori capite de modo generationis ſuccini dicta ſunt, facilè patet, ipſum non homogeneum, ſed heterogeneum maximè corpus eſſe. Quænam verò & quot partes ejus integrantes ſint, & qualis earum textura ac proportio, diſtinctius nunc porrò conſiderandum eſt. Conſtat verò ſuccinum partibus ſenſibilibus, (nam de inſenſibilibus non niſi ex ſenſibilibus judicare poſſumus) (1.) 🜍reis pinguibus ſeu oleoſis copioſis. (2.) 🜔linis alcalicis volatilibus & fixis, (3.) 🜔linis acidis (4.) aqueis. (5.) 🜃eis, quæ omnes tùm à priori, tùm poſteriori, imprimis autem chimicâ deſtillatione demonſtrari poſſunt. Quod ſi enim ſuccinum flavum groſſo modo contuſum, vel ejusdem raſura retortæ vitreæ debita quantitate indatur, & ita arenæ, vel (ſi lutata probè ſit retorta) △i aperto committatur, applicato recipiente capaciori, clauſis probè juncturis, △is primò, lenis, deinde mediocris & tandem fortior ſubjiciatur, egreditur primùm phlegma inſipidum, poſtea nebularum inſtar ∽us cum 🜔le volat. (qui parietibus vaſis quoque adhæret) & oleo ſubflavo æthereo, cui tandem rubicundum, nigrum & craſſum ſuccedit, reſtitante in retorta capite mortuo nigerrimo.

§. II.

Ex deſtillatione hac aliisque phænomenis partes ſuccini

cini ante dictæ facile ſenſibus manifeſtantur. *Oleoſas* itaque ſeu 🜍eas præter 🝆 copioſum deſtillatione elicitum oſtendit reſinoſitas illa luti in venis ſucciniferis, & inflammabilitas, quâ ad 🜍 commune proxime accedit. ⊖*linæ volatiles* porrò tum in deſtillatione ſeſe oculis noſtris ſiſtunt, quâ peractâ ſeorſim colligi queunt, tum linguæ & naribus in 🜂tu præſentiam ſuam teſtantur. *Fixas verò*, ſed exiguâ quantitate, ex 🜃tuo parum calcinato elicere licet tùm 🜄â ſimplici, tùm deſtillatâ quâdam. Hâc quippe mediante, tanquam ſubtiliori magis, ex pluribus corporibus, quæ alias ſalem non æque fundunt, imò ipſiſſimis animalium oſſibus calcinatis, idem prolici poſſe teſtatur accuratisſimus *Borrichius Ægypt. & Hermet. ſapient. c. 7.* quod experientia noſtra, facto experimento, confirmavit. De *acidis* quidem dubitari poſſit, an in ſuccino deprehendantur, cum nec oculis, nec linguâ primâ fronte ſentiantur; at enim verò eadem ſuccino ineſſe, tùm à priori, tùm poſteriori κατὰ πλάτος & diffuſiſſime demonſtrari ex facili poſſet, opus ſi foret. Sal enim volatilis & ſpiritus ſuccini ſi per ſe, citra additionem cinerum aliorumve alcalinorum parantur, aciditatem manifeſtè produnt, dum cum purè alcalicis effervescentiam excitant. Deinde etiam ſapor à reliquis ſalibus volatilibus mirum quantum differt & ſalſus magis exiſtit. Ad hoc ob idem acidi connubium minus fugax quoque eſt ſal ſuccini volatilis, intuitu aliorum, e.g. ♀ri, C.C. & diutius in forma ſicca citra deliquationem & conſumtionem detineri poteſt. In oleo quoque easdem particulas acidas latitare, ex eo, quod plurimum ſalis volat. in eodem ſuperſit ſufficienter probari poſſe videtur, ut alia ſilentio prætervebam. Acidum etiam ad ſuccini compoſitionem concurrere exinde à priori patet ac eluceſcit, quod in venis ſucciniferis

omnis generis acidæ particulæ, vitriolum np. nitrum, reperiantur, ex *Hartm.* didicimus. Neque tamen exinde, quod salem volatilem succini acidum in sinu quasi gestare diximus, inferendum statim est, ipsum planè acidum esse, quippe alcali purum in apricum prodit, si cum alcalicis fixis rectificatio ejus seu sublimatio instituatur. Ut taceamus, ipsum cum aliis acidis propriè dictis, spiritu salis, vitrioli, commistum, ingentem concitare effervescentiam. Odor demum & effectus, quem cum reliquis alcalicis volatilibus communem habet, idem satis demonstrat. *Aqueas* particulas phlegma, spiritum in destillatione præcedens, & spiritus ipse exhibet, qui nihil est aliud, quam sal volat. in phlegmate solutus. *Terreæ* insipidæ colliguntur, postquam e lixiviatione & filtratione ex ☋ sal fixus paratus est.

§. III.

Proportio harum particularum ad se invicem ob diversitatem succini ratione coloris, ponderis, aliarumque affectionum adeò exactè definiri nequit, id tamen certum est, oleosas maximè præponderare reliquis, salinas volatiles alcalicas fixis & acidis; aqueas etiam & terreas oleosis & salinis quantitate haud pares esse. Præter verò hasce enumeratas particulas sensibiles succinum componentes, aliæ sensibus minus obviæ ipsi insunt, quæ non nisi ex effectibus certis cognoscuntur. Quales sunt, quæ vim electricam præstant, & frictionis demum ope majori copiâ proliciuntur. De harum natura infra erit agendi occasio.

§. IV.

Ante verò quam effectus varios consideremus, quæ à recensitis hactenus succini partibus diversis in corpore humano oriri queunt ac solent, medicamenta prius potiora, quæ ex succino parari consveverunt, enumerabimus. Variant

ant autem hæc pro diverſis ſuccini partibus integrantibus, quarum modò hæ, modò illæ ſeorſim, modo omnes conjunctim expetuntur. Ubi omnes conjunctim deſiderantur, in uſum cedit ſuccinum flavum, & quod fruſtra adeò ſpecialiter ſeligi diximus, album, in *pulverem* tritum tùm groſſiorem, tum ſubtiliorem. Ille ad *ſuffimenta* potiſſimum, *cataplaſmata*, *emplaſtra* aliaquê id genus medicamina adhibetur; Hic vero, ſubtilior, in marmore lævigatus, ad varios uſus internos, variasquê remediorum formulás huic fini accommodas, uſurpari aſſolet. Exempla addere non opus eſt, infra enim ſponte ſua ſeſe ingerent, ubi de viribus ſpecialibus erit agendum.

§. V.

Subtiliores deinde, tam ſulphureæ quam ſalinæ, à reliquis beneficio menſtrui ſegregatæ, ſeorſim expetuntur in *Eſſentia ſ.* R̄*ā*. Modi hanc parandi varii à variis docentur Autoribus, ex quibus commodus ſatis eſt, quem proponit *Ill. Boyl. Tentam. Phyſiol. p. 35.* nec non & *Nicolaus Lemery Curſ. Chim. c. 2. p. 462.* omnibus tamen palmam præripere videtur ſequens, quem in *Miſcell. nat. Curioſ. ann. IX. obſerv. 36.* deſcripſit accuratiſſimus olim Chimiater *B. Ludovicus* ℞. ſuccini ſubtiliter ♀ſati part. j. affunde 🜈 ♀ſati ſubtil. p. viij. hæc in cucurbita capaciori & altiori, adaptato recipiente mediocri, lutatis juncturis, ad horas 5. l. 6. in arena ebulliant, quod in recipiens tranſiit, reſiduo (adhuc calenti) reddatur, & hinc filtretur. Circa hanc præparationem notandum eſt (1.) 🜈 requiri ♀ſatum, qui tùm dephlegmatus præ reliquis eſt, tùm ob adjunctas particulas ſalinas volatiles bituminoſam ſuccini ſubſtantiam magis penetrat & recludit, quam alius quivis, niſi ſit rectificatiſſimus. Alii, ſed fruſtra, idem ſalis tartari additione effici putant. Parum enim

 illud,

illud extractionem hic promovet, quod obſervavit iterum modò dictus *Ludov. Pharm. diſſ.1. p.m. 653.* (2.) Menſtruum proportione certâ ac definitâ adfundendum eſt, non indefinitâ, uti hactenus in uſu fuit, ubi ad digitorum aliquot eminentiam tantùm adfundere conſveverunt, proportio nimirum iſta ſit octupla, quæ ſufficiens eſſe poteſt ad extrahendum, vid. *Excellentiſſimus Wedelius, Præceptor atque Patronus meus perpetim devenerandus in pharm. l.2. ſect. VI. c. 8. p. 242.* (3.) Digeſtionem calore aliquanto majori fieri debere, ut eò magis menſtruum poros ſubjecti extrahendi pervadere poſſit. Quamobrem ebullitione commodè peragitur digeſtio, & hoc pacto compenſatur tædium, quod ex longiori alias digeſtione oritur, quæ tamen ipſa nihil efficit, niſi in calore ſufficienti inſtituatur. Huc facit etiam ſupra laudati *Papin* experimentum, quo breviſſimo temporis ſpatio in machina â ſe inventa parari poſſe ſcribit *Eſſentiam ſuccini* ut & *tincturam tartari* longè ſaturatiorem illâ, quæ vulgari modo paratur. *Vid. ejus tract. ex Anglic. in Gallicam linguam translatum, cui præfixa frons: la maniere d' amolir les os, chap.6. experience 1.* cujus ratio hæc ſolâ eſt, quod ignis digeſtivus fortior. (4.) Notari etiam meretur quod ſæpius laud. *Ludov. Miſc. nat. Curioſ.* monuit, nempe ſatius eſſe, ſi nihil ſpirit. vin. poſt confectionem abſtrahatur, cum exinde tincturæ vis non augeatur, ſed coagulum reſinoſum tractu temporis potius ad fundum ſecedat ad ſuccini ingenium rediens. Id quod iterum obſervavit *Boyl. tr. 2. de firmit. ſect. 49.* Cum enim tincturæ ſuccini benè coloratæ copiam aliquam per trium annorum ſpatium reliquiſſet, in ea, quamvis prius fluida manſiſſet, aliquot tamen flavas ſuccini maſſulas, ſphærulis precatoriis tantum non ſimiles, altero latere planas, hic illic partim in fundo, partim in vitri lateribus adhærere conſpexit.

§. VI. Sa-

§. VI.

Salinæ volatiles particulæ (quibus ſulphureæ paucæ junctæ ſunt) vel in liquida forma adhibentur ſub *ſpiritus ſuccini* titulo, vel in ſicca. *Spiritus* ſecundum laudatum antea *Lemery*, peractâ, ut ſuperius dictum, deſtillatione, ſegregatur ita: infundatur in vas recipiens, in quo deſtillatum adhuc continetur, aqua ſimplex, ut agitatione adhibitâ ſolvatur ſal volatilis lateribus adhærens, liquor omnis cucurbitæ vitreæ committatur, impoſito alembico, adaptato recipiente, lutoque munitis juncturis, ignis arenæ leniſſimus ſubjiciatur, ut vas incaleſcat, hinc paululùm augeatur, ut adſcendant aqua & ſpiritus, qui paucum oleum album ſecum defert, continuetur donec nihil aſcendat amplius, remaneatque oleum craſſum, nec tamen ebulliat. Oleum ab aqua & ſpiritu, deinde, rectificatione denuò inſtitutâ, aqua etiam ab eodem ſeparetur, & ſpiritus in uſus reponatur. Eadem ſpiritus ab oleo ſeparatio fieri etiam poſſet, ſi ſolutione ſalis volatilis parietibus adhærentis factâ, oleum ab aqua & ſpiritu filtratione ſeparetur, ac denique rectificatione, leni tamen igne, evocetur phlegma, relicto ſpiritu, (eſt enim, ut ſuprà dictum, ſal volatilis fixior, unde phlegma præcedit ſpiritum) niſi ſi quis ſalis volatilis particulas oleoſis implicari exiſtimet.

§. VII.

Sin ſeorſim & formâ ſiccâ *ſalem volatilem* colligere & aſſervare allubeſcat, fieri illud poteſt vel communi modo, inſtitutâ, ut ſupra dictum, deſtillatione, ubi lateribus colli retortæ & recipientis adhærens colligendus; vel ad ductum *Lemery* qui *pag. m. 468. curſus Chimici* huncce docet modum: ℞. ſuccini ℥riſat. ℔ij, inde cucurbitæ vitreæ ſatis amplæ, ita, ut pars ejus quarta tantùm repleatur, cucurbi-

 tam

tam arenæ impone, ipſique capitello cum parvo recipiente adaptato, luto accuratè commiſſuras agglutina, ignem per horam circiter lentum adhibe, hinc, calefactâ cucurbitâ, eundem ad tertium gradum auge, primò ſtillabit phlegma cum ſpiritu, hinc adſcendet ſal volatilis, qui ſub exiguorum cryſtallorum formâ capitello adhæreſcet, poſtea ſtillabit oleum primô album, poſtmodum rubrum, ſed limpidum. Quando non niſi pauci elevabuntur vapores, ignem ſubtrahe, vaſis refrigeratis lutum remove, pennâque ſalem volatilem collige. Cum vero non adeò purus ſit ſal hicce volatilis, repetita ſublimatione in phiala capaciori vel cucurbita, liberari etiam poteſt ab oleoſis empyrevmaticis particulis, quæ adhuc ipſi adhærebant. Inſtitui etiam poteſt illa depuratio crebrioribus in aqua & ſpiritu vini ſolutionibus, ac inde ſublimationibus, quo pacto aliàs etiam ſal volatis C. C. aliive depurari conſveverunt.

§. VIII.

Oleoſæ etiam ſeu ſulphureæ particulæ à reliquis ſeparatæ in frequentiſſimum ſub *Olei* titulo ſeliguntur uſum. Hoc nunquam ſeorſim deſtillatur, ſed unà cum reliquis ſupra dicto modo colligitur, purificatur verò non unâ viâ. Vel enim ſubtiliores ejus particulæ, ſub flaveſcenti colore, per alembicum ex arena ſegregantur, & *olei ætherei* nomine inſigniuntur, relicto in fundo cucurbitulæ craſſo nigricante. Vel etiam totum magna oleoſum primâ deſtilatione provocatum, cum arena, vel, ſecundum nonnullos, cum cineribus commiſcetur, & per retortam vitream rectificatur, ubi primò rubicundum, poſtmodum craſſum nigricans prodit oleum, quorum utrumq; ad diverſos uſus peculiari excipi poteſt vaſculo. Optimus autem oleum ſuccini rectificandi videtur modus, ſi antea dictum

magma

magma oleosum, à spiritus & salis volatilis separatione reliquum, aquæ simpl. copiosæ in vesica committatur, & ita, adhibito refrigeratorio, igne mediocri destilletur, sic enim relicto crassiori nigricante, æthereum transibit, postea beneficio vitri hypocleptici, vel alio modo separandum. Alios hujus rectificationis modos, qui hinc inde apud Autores occurrunt, v. g. super Colophoniam propriam seu caput mortuum, vel sal alcali, ut cineres clavellatos, vel supra salis spiritum, aut muriam, non adscribam, judicium tamen de iisdem vide sis in *Ludovic. pharm. diss. 1. p. 656.*

§. IX.

Inter *composita* ex succino medicamenta memorabimus primo loco *Essentiam compositam seu Elixirium,* ex *essentiæ succini, castorei, camphoræ,* nonnunquam etiam *myrrhæ* & *asæ fœtidæ* connubio, pondere proportionali paratum, quod Elixiris uterini, cephalici, nephritici, titulo venire solet. Est enim medicamentum ad plurimos usus nobilissimum, ut ex infra dicendis clarius patebit. *Spiritus* porrò *volatilis* præstantissimarum virtutum ex succino consit, si cum sale ammoniaco instituatur ejus destillatio sequ. modo: ℞. ⊖lis ✳ci, & rasur. succini aà ℔ß, calc. viv. ℔j. vel ℔iß. mista invicem imbuantur 🜄 simpl. q. s. & Ꝙlentur ex cucurbita capaci in arena, igne mediocri, tunc spiritus oleosus prodibit, qui ~ ⊖*lis* ✳*c. succinatus* audit. Adhiberi hic potest variis in morbis, vel per se, vel extrahendis aliis oleosis corporibus inservire: sic *Essent. myrrhæ volatilis* egregia cum hoc spiritu parari potest, ut alia taceamus. Ex sale volatili succini cum aliis combinato varia quoque fieri consueverunt medicamenta, inter quæ in forma liquida eminet divinum illud remedium,

Liquor

Liquor C. C. ſuccinatus, ab ἰατρικωτάτῳ *Michaele* primùm in uſum vocatus, & hactenus multis in caſibus, adultorum pariter ac juniorum, utriusque ſexus, experimentis μυρίοις ἐπὶ μυρίοις comprobatus. Paratur ex ~ C. C. probè rectificato, qui affunditur ſali volatili C. C. & ſali volat. ſuccini (ab oleoſo inquinamento, dicto modo, liberatis) aa. q. ſ. ut imbibat atque ſolvat intimè dictos ſales, quo facto miſtura hæc poſt aliqualem effervescentiam digeſtioni exponatur, & cohobatione reiteratâ perfectius uniatur. Vid. Excell. *Etmullerus valetud. infantil. c. 3. §. 5.*

§. X.

Nec oleum minus quam reliquæ ſuccini partes compoſitiones varias egregias ingreditur, quas tamen omnes hic recenſere ſuperſedeo. Sic *oleum* illud celebre *antilœmicum Heiniſii* ex ſuccini oleo inprimis conſtat, cujus locum extemporanea miſtura olei ſuccin. junip. rut. cum camphora & balſamo ſulphuris facilè complere poteſt, monente *Ludovico in pharm. p. 270.* *Balſamum* ♀*ris ſuccinatum* egregium pariter cum oleo ſuccini conficitur, ſi cum floribus ejus, vel ſulphure puriori digeratur, id quod tùm aliis uſibus ſeorſim, tùm elixirio peſtilentiali Crollii parando inſervit. Vid. ejus *Baſil. Chimica pag. m. 300.* *Aliud Balſamum* ex corpore pro balſamo, ſeu oleo Nuciſtæ expreſſ. & oleo ſuccini, ſervatâ eâ proportione, ut ad ℈j. corporis gtt. viij. vel x. olei ſuccin. recipiantur, nemo non parare novit. *Elæoſaccharum* quoque, ut & *litus* ſeu *linimenta* varia, quæ oleum ſuccini conſtituit, unicuique tam nota ſunt, quam quæ maximè. In alias inſuper plurimas formulas redigi poſſe ſuccinum, & inſtar Protei quaſi, cui nec forma nec color certâ ſede manet, ſe habere, teſtantur medicamentorum uſualium

cata-

catalogi, pharmacopoeæ & Practicorum libri. Sic frequentiſſimi uſus eſt ℞ *de ſuccino Cratonis*, deſcripta à *Schrœd. in Pharm. lib.2.c.73.* *Emplaſtra* etiam varia ingreditur, ex quibus præ cæteris celebre eſt *Emplaſtrum diaphoreticum* & *de pice Mynſ. in arment. ſ37. p.509. & ſeqq.* deſcriptum; quorum tamen virtutem æquat, ſi non ſuperat, ſimpliciſſimum è *colophonio & ſuccino* confectum, notante iterum *Ludov. l.c. p.628*. Peculiare demum *Emplaſtum magneticum* à celebratiſſimo quondam *Cnœfelio deſcriptum vid. in append. ann. VI. Miſcell. Nat. Curioſ.*

CAPUT III.

De Viribus ſuccini generalibus, inprimis medicis.

§. I.

EXpoſitis ſuccini partibus integrantibus ſenſibilibus, & variis earũ ſeparationibus & combinationibus tùm inter ſe, tùm cum aliis, proximum nunc eſt, ut vires earum ſeu effectus perpendamus, quos corpori humano internè & externe adplicatæ producunt. Dupliciter verò vires iſtæ conſiderari commodè queunt: (1.) in genere, ſecundum cauſas ſuas & agendi modum, (2.) in ſpecie ſecundum morborum claſſes ac numerum, in quibus operam præſtant & ſeſe exerunt.

§. II.

Quod ad effectus ſuccini attinet, notandum venit, eos nil aliud, quam affectiones quasdam ſeu qualitates ejusdem eſſe, quæ habito reſpectu ad corpus noſtrum eidem tribuuntur. Unde in iis deducendis non ad alias

æque ignotas qualitates primas & ſecundas, uti hactenus factum eſt, recurrendum, ſed totum negotium mechanicæ ſuccini affectiones, particularum nempe componentium magnitudo, ſitus, motus & textura, abſolvunt, quippe à quibus tanquam rerum principiis, ſi non omnium, tamen vitæ expertium qualitates & effectus commodiſſimè deduci poſſunt, immò debent, id quod latè demonſtratum ivit *Autor, Philoſoph. veter. & nov. phyſ general. tr. 3. c. 1. concluſ. 3.* Neque verò hâc aſſertione principia chimica excludimus, quæ ſuccino ineſſe diximus, utpote quorum virtus & agendi potentia à mechanicis illis principiis unicè uniceque dependet.

§. III.

Inter *vires* itaque ſuccini generales primò occurrunt illæ, quæ eidem in ſubſtantia, ſeu ut ſic mixto, competunt. Talis eſt *vis abſorbendi* ſeu imbibendi varia liquorum vitalium, cumprimis lymphæ, inquinamenta ſalina, quæ à determinata particularum terrearum cum reliquis ſtructura ac textura dependet, quæque efficit, ut occurrentia ſalina vel acria corpuſcula alia immutentur, invertantur, adeoque vim agendi amittant. Obſervatur hæc ſuccini virtus in variis ſyſtematis nervoſi irritamentis, maximè in *Epilepſia, motibus convulſivis*, infantum pariter & adultiorum, ad quorum medelam pulveres abſorbentes ſuccinati mirum quantum faciunt, id quod multitudo pulverum epilepticorum, ſuccinum recipientium, ſatis ſuperq; demonſtrat. vid. ſæpius laud. *Ludovic. Pharm. p. 649.* Eadem virtus in nonnullis lymphæ vitiis, quæ cum motu ejus vitioſo & effluxu nonnunquam conjunguntur, ſeſe manifeſtat. Sic ſi ſales peregrini lympham inquinantes conſiſtentiam ejus laxent & glandulas irritent, aut ad excretio-

nem

nem n. p. easdem ſtimulent, certum præſidium eſt ſuccinum, in cujus rei exempla adduci poſſunt *gonorrhœa, fluor albus*, *defluxiones catarrhales* variæ cum dolore. Competit autem hæc virtus tùm *ſuccino* ☿*ſato*, tùm *eſſentiæ*, quippe in qua ſubſtantiales ejus particulæ, ſubtiliores tamen, reperiuntur. Ex eodem fonte propullulat etiam *vis incraſſandi*, quæ ab omnibus ſuccino tribuitur. Hæc enim eadem ferè eſt cum priori, & contingit, quatenus corpuſcula illa acria in corpore oberrantia & lymphæ conſiſtentiam turbantia à ſuccino imbibuntur, & adeò textura ac conſiſtentia naturalis ſero iterum redditur; licet particulæ ſuccini ſubſtantiales, inter quas terreæ non paucæ, ſymbolum ſuum quoque addere poſſint. Hinc eſt, quod in *catarrhis tenuibus*, *ſalſis*, *ſeminis fluxibus*, *hæmoptyſi* &c. ſuccinum pulveriſatum ſub adſtringentis titulo commendatur.

§. IV.

Eximia porrò in ſuccino *reſolvendi*, *aperiendi & diſſipandi* deprehenditur virtus, quæ partibus ejus ſubtilibus tàm ſenſibilibus, ſalinis & ſulphureis, quam inſenſibilibus debetur. Illæ enim cum per ſe valdè mobiles ſint, & calore corporis viventis facilè in motum majorem concitentur, non poſſunt non in corpus aſſumtæ concretiones liquorum vitalium, & varias inde ortas obſtructiones diſſolvere, ac maſſam ſanguineam fluidorem reddere, ut liberè iterum per vaſa decurrere queat. Utrisque autem tùm ſalinis, id eſt acuminatis rigidis, tum oleoſis ſeu rotundis, aut in rotunditatem pronis particulis, hic effectus competit, ſiquidem hæc etiam ſubtilitate & motu ſuo rubicundos ſanguinis & albicantes ſeri globulos arctius ſibi invicem innexos dividere, & in fluiditatis ſtatum vindicare poſſunt. Ab illa enim cohæſione obſtructiones in

corpore humano oriri, ex *Lewenhookio* ingeniosè admodum ostenditur in *Phil.vet.& nov.Phys.p.2.tr.3.dis.2.c.3.* Neque insensibilibus particulis hanc virtutẽ deesse, testantur amuleta ex succino parata, quorum vim in variis morborum generibus plurimi Practici ἀξιόπιστοι, deprædicant quibus nemo facilè fidem derogabit, & experientiâ comprobatam. Hæc succini aperiendi ac resolvendi virtus in variis adfectibus tùm sanguinis, tùm nervorum manifestè sese exerit, in *apoplexia, paralysi,* seri motu læso seu *catarrhis* circa os, fauces & alias partes, *mensium defectu, lochiorum stagnatione* & aliis, sive externè variis modis applicetur, seu internè ejus *~us*, ⊖ *volatilis* aliaque exinde parata exhibeantur, de quo fusius infra.

§. V.

Hanc aperiendi ac dissolvendi virtutem duæ aliæ facultates, tanquam effectus proximi consequuntur, *vis* nimirum *diaphoretica & diuretica.* Quod si enim divisione partium sanguinis ac lymphæ cohærentium factâ, in fluiditatis statum revocati sint liquores hi vitales, secretiones omnes naturales, præprimis lymphæ, optimè iterum procedunt, & eò magis, quò major heterogenearum particularum copia naturam gravat. Fluidior enim lympha tàm per glandulas subcutaneas, quam renales facilè transit & exitum invenit. Promtius verò medicamenta succinata hos producunt effectus, quod, præter salinas volatiles particulas, sulphureis plurimis gaudent, quæ sanguineas rubicundas particulas, seu globulos, augendo, motum sanguinis fermentativum seu rarefactivum intendunt, & circulum ejus efficiunt rapidiorem. Licet verò utroque modo, tàm per diaphoresin, quàm diuresin seri evacuatio â succinatis procedat, (uti aliàs utraque se invicem modifi-

cat) poſterior tamen frequentius ſubſequitur, ob ſalem volatilem, quem ad ſalſi ſalis naturam propius accedere ſupra dictum eſt, hunc enim potius diureticum quam diaphoreticum eſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Harum virtutum documenta infra in pluribus morbis occurrent.

§. VI.

Inter generales ſuccini virtutes merito quoque numeratur *vis anodyna*, quam in variis adfectibus dolorificis externo & interno uſu exerit. Originē hæc ducit partim ex virtutibus ſuccini antea deſcriptis, invertente, diſcutiente ſudoriferâ & diureticâ, quatenus nimirum acre irritans hoc modo immutatur & deſtruitur, atque ita dolorum cauſa tollitur; partim ex eo, quod particulæ oleoſæ rotundæ acribus acuminatis ſeſe implicando cuſpides harum obtundunt, inſimulque ſpiritibus animalibus motum placidiorem conciliant. Hanc itaque ob cauſam potiſſimum nervinis remediis, iisque efficaciſſimis, accenſentur ſuccinata, & in omnibus nervorum adfectibus, ſive ii obſtructi ſint, ſive reſoluti, vel alias à ſtatu naturali receſſerint, internè in *ſubſtantia*, *~tu*, ⊖*le volat.* & externè in *ſuffimentis, oleo, liminentisque* inde paratis variis, optimo cum ſucceſſu adhibentur.

§. VII.

Præ cæteris tandem virtutibus in ſuccino elucet *alexipharmaca*, quam in peſtilitate aliisve febribus malignis epidemiis latiſſimâ prædicatione circumferunt practici. Nec de ea fama dubitavit unquam, ſed pleno ore confirmat, cùm Regiomontii quondam peſtis graſſata fuerit, neque vel unum ex iis, qui ſuccina tractârunt, interiiſſe, nec domus eorum labe fuiſſe infectas. Quò etiam illud ſæpius laudatus *Hartmannus* refert, quod nec ulli venenati halitus

litus ac vapores, quos metallifoſſores noſtri vocare ſolent das böße Wetter/ in fodinis ſuccineis ac in aliis metalliferis, obſerventur, id quod tamen alia de cauſa facilè proficiſci poteſt. Unde verò vis illa dependeat, ex hactenus traditis haud difficulter æſtimare licet. Non ſolùm enim vis imbibendi, quâ particulæ ſuccini certo modo diſpoſitæ miaſmata venenata, quæ in peſte & malignitate epidemia ſupponuntur, abſorbere & invertere queunt, plurimum huc facit; ſed particulæ etiam volatiles fluxilitatem ſanguinis conſervando vel reducendo, ſymptomatibus ejus, coagulationi nempe & reſolutioni, apprimè reſiſtunt, motum inteſtinum ſartum tectum præſtant, prohibentque ne peregrinus eidem inducatur. Cui fini maxime inſerviunt particulæ oleoſæ ſulphureæ, quæ ſulphur ſanguinis augent, ſpirituumque vitalium copiam largiuntur. Ita enim liquoribus vitalibus conſtitutis, haud facilè noxam eisdem inferre poteſt miaſma venenoſum, quippe quod vel abſumitur, vel invertitur, vel per ſudores copiosè obortos, aut urinæ ſecretionem largiorem, foras confeſtim propellitur. Nec corpori humano tantum internè & externè uſurpatum ſuccinum hoc præſtat, ſed aeri quoque ipſi, ſi vitium in eo hæreat, id quod ſuffituum ex ſuccino paratorum frequentia ac efficacia tempore peſtis ſufficienter confirmat.

§. VIII.

Poſt generales ſuccini virtutes agendum quoque paucis venit de *vi electrica, ſeu attrahendi corpora levia*, quæ quidem abſolutè medicæ conſiderationis non eſt, cum tamen ad effectus nonnullos medicamentorum ſuccinatorum explicandos concurrat, ipſam præterire vix licet. Si itaque veterum hac de re excutiamus loculos, varia occurrunt memoranda. Hi enim unicè fere ſuccino vim attra-

tra-

tractricem tribuerunt, valdeque fuêre solliciti, an levia omnia, an quædam tantùm attrahat, à quorum numero præ cæteris ocymum, & oleo imbuta corpora, nescio quo fato, excluserunt. Verum de his qui plura legere cupit, videat *Bernh. Cæsium lib. de mineralibus sub tit. succin.* it. *Hartm. p. 220. & seqq.* Nobis satis erit notasse, eandem virtutem in plusculis aliis corporibus quoque reperiri, ut nullo modo peculiaris succino, & specifica, dici possit; siquidem *sulphur commune, arsenicum, vitrum, lapides pretiosi*, ut *adamas, rubinus*, resinæ etiam solidæ, ut *mastiche, colophonia, cera sigillatoria*, non minus ac succinum, istam aperte exhibent, de qua re videri potest, naturæ Consultissimus *Robertus Boyle de atmosphæra corp. p. 11. & de qual. particul. p. 16.* Causam hujus phænomeni quod concernit, non veterum qualitates occultas, similitudinem substantiæ, aliaque, fusius jam recensere aut refutare, sed recentiorum potius hac de re opiniones perlustrare interest. In his primo occurrit sententia *Domini des Cartes*, quam proposuit *Princ. Phil. part. IV. §. 185.* & ex eo *Anton. le Grand. institut. philosoph. part. 6. art. 10. §. ult. p. 606.* Existimant nempe in corporibus electricis præter majuscula intervalla, per quæ globuli secundi elementi versus omnes partes transire possunt, plusculas etiam rimulas oblongas reperiri, quę soli materiæ primi elementi transitum præbeant; hanc verò primi elementi materiam, cùm omnium meatuum, quos ingreditur, figuras induat, per rimulas istas transeundo, in quasdam quasi fasciolas tenues, latas & oblongas efformari, quæ cùm rimulas similes in aere non inveniant, intra corpus electricum se contineant magis. Quod si verò frictione & & incalescentia foras proliciantur, per aerem vicinum se dispergant, aliorumque corporum meatus ingrediantur,

ſed quia non tàm aptas ibi vias inveniunt, ſtatim mox ad corpus electricum revertantur, & minutiora corpora, quorum meatibus ſunt implicita, ſecum deducant. Alii vero cum *Cabeo* hancce afferunt rationem; halitus nempe è ſuccino excuſſos aerem circumjectum disjicere, qui, cum vicinum itidem aerem loco dimovere non poſſit, unâ cum halitibus, qui ex ſuccino erupêre, revertitur, ſicque atmoſphærâ ſuccini rariore factâ, halitus ipſos cum corpuſculis levioribus, quibus inhæreſcunt à gravioris aeris pondere omnino retrò pelli. At enim verò, cùm utraque hæc ſententia non levibus prematur difficultatibus, immo falſas admittat hypotheſes, (uti pluribus monſtratur in *Philoſoph. veter. & nov. phyſ. p. II. c. 4.*) merito rejicitur, illaque, quam *Carteſius* primùm reliquerat, tanquam verior admittitur. Suppoſito nempe, unumquodque corpus particulas quasdam inſenſiles, quæ admoſphæram ejus conſtituant, continuô & quaſi ad deſtinatum emittere, (uti hoc latius demonſtravit ſæpius laudatus *Boyle*,) è ſuccino ſimilibusque corporibus electricis, quæ maximam partem reſinoſa ſunt, halitus viſcoſi copioſi per frictionem excitati erumpunt, qui ad inſtar filamentorum in proxima corpora levia ſeſe inſinuant, iisdemque adhærent; cùm verò halitus iſti filamentoſi in tenſione non diu ſubſiſtant, ceſſante paulatim calore in ſe ipſos recurrunt, & corpuſcula, quæ arripuêre, ſecum deferunt. Vid. *Philoſoph. vetus & nova loc. cit.*

CAPUT IV.

De Uſu ſuccini ſpeciali.

§. I.

POſtquam in genere vires ſuccini varias ex cauſis ſuis deduximus, non incongruum erit ſpeciales affectus varios, in

in quibus idem præ cæteris efficaciam ſingularem promittit, & practicorum celeberrimorum teſtimonio præſtat, enumerare. Ex primarum viarum morbis pauci quidem ſunt, in quibus ſuccinum ſeorſim commendatur, in *fluxibus* tamen *alvi*, ſeu *diarrhœis*, *pulvis ſuccini*, ſive *ſuccinum præparatum*, non tam adſtringendi, quam acrimoniam irritantem temperandi fine, unà cum aliis figentibus & abſorbentibus, *C.C. philoſoph. bol. armen. rad. tormentill. &c.* meritò quoque ſuas meretur laudes, ubi ſimul fibras nervoſas ſolari & ſpirituum motum irregularem conſopire poteſt. Hanc virtutem quoque in infantum *inquietudinibus*, *torminibus*, *vomitibus*, *diarrhœis* & inde oriundis *motibus convulſivis* exerit, unde *Ludovic. pharm. p. 648.* ſequentem pulverem pro ætatis ratione ad grana aliquot exhibitum, in eo caſu magnis celebrat laudibus.

℞. *pulv. bezoard. alb.* ʒvj. *ſuccin. alb. ppti* ʒiij.
cinnab. nativ. ℈iv. *laud. op.* ℈j. M.

Liquor quoque *C.C. ſuccinatus*, *Eſſentia myrrhæ c.* ~ ⊖ ✱*ci ſuccinato* parata egregiam præſtant operam, à quorum poſteriori in adfectibus ventriculi quibusvis, imprimis *vomitu*, *cardialgia* adultiorum, effectum præſentaneum ſæpius vidimus. Externè verò huic fini tanquam optimum euporiſton inſervit *oleum* vel *balſamum ſuccini*, ſcrobiculo cordis & abdomini inunctum. Eundem ad ſcopum etiam collimant *ſpecies diaſuccini Mynſ.* quas in *diarrhœis*, & *dyſenteria* in ſpecie, commendat *arm. ſect. V. p. 115.*

§. II.

Ex morbis maſſam ſanguineam infeſtantibus auxilium ſingulare à ſuccino expectant *febres* nonnullæ, eæque *continuæ*. Harum familiam ducunt *febres malignæ & peſtis*, in quibus ob egregiam vim diaphoreticam & alexi-

pharmacam supra assertam mirè conducit. Eam quoque ob causam *pulvis succini albi* omnes ferè *pulveres bezoardicos* ingredi solet, quorum exempla prostant apud *Mynf. in Arm. Sect. V.* Præter pulverem autem in febribus dictis cumprimis laudandus est ⊖ *volatilis*, tùm per se, tum cum ∽ *C.C.* in laudatissimo *liquore C. C. succinato* exhibitus, qui in *petechialibus* ut & *morbillis* malignioribus apprime confert, tam ad malignitatem ad extra propellendam, quam cerebri symptomata conjuncta, *deliria, convulsiones*, curanda. In *Peste* & internè, & externè egregiam præstant operam medicamenta succinata omnia, & in eo ad sulphuris virtutes, sicut in aliis affectionibus quamplurimis, proximè accedit succinum. Internè non tantùm *pulveres bezoardici* jam laudati, quorum exemplum videri potest ap *Rivinum diss. de peste Lips. c. 5. p. 97.* sed inprimis *oleum* ejus & ⊖ *volatilis* exhibentur. Hic ad sudorem promtè provocandum commodè aliis maritatur volatilibus, in *liquore C. C. succinato* & similibus, quorum descript. vide in Leipziger Pestschaden § 17. ubi quoque confirmatur, hæcce medicamenta in nuperæ pestis Lipsiensis curatione omne ferê tulisse punctum. *Pulveribus* etiam & *potionibus* variis tùm *sal volatilis*, tùm *oleum* commisceri possunt, posterius verò *electuaria* præcipuè ingreditur. Seorsim illud quoque ad guttulas vj. viij. vel in *oleo pestilentiali Heinisii* memorato, quod constat ex ana *olei citri, camphoræ, & succini*, ex usu esse solet. Par ratio est *balsam. sulphuris succinati, elix. pestilentialis Crollii* aliorumque quæ succini oleum ingreditur. Externè *suffitus* ex succino varii in peste conveniunt, pro depurando aere, invertendisque miasmatis, unde non tantum in domibus, conclavibus, suffimenta accenduntur, sed vestimenta quoque tàm sanorum adhuc, quam indusia ægrorum, qui ad curandam pestem sudori-

doribus corpus exercuerunt, ſuffumigantur. Conficeri poſſunt hæc ſuffimenta variis modis: vel ſimpliciſſimè ex *ſulphure & ſuccino*, vel additis aliis, ⦶. ♀, *myrrha*. Sic laudatiſſimum juxta ac uſitatiſſimum eſt ſuffimigium *de cornu capri Mynſichti*. Quin ad amuleta contra luem peſtiferam quoque comendatur ſuccinum, corpori affrictum, ab *Helmontio Tumul. peſtis p. m. 262.* ubi refert Chirurgum Hiſpanum in obſidione Oſtendana hoc zenexto per triennium integrum ſe ab hoc malo præſervaſſe. In *febribus catarrhalibus ſal volatilis* ſuccini addi commodè poteſt aliis remediis. A reliquis vero ſuccinatis, ut *eſſent. oleo* & *balſamo ſulphuris ſuccinato*, abſtinendum magis eſt, cum calidiora hæc ſint, & febrim utplurimum exaſperent.

§. III.

Nec porrò *vitiis reſpirationis & pulmonum* operam ſuam denegat ſuccinum. Siquidem, ſi inſpiratio aeris lædatur ab *aſthmate*, quod *convulſivum* dici ſolet, & à contractione involuntaria fibrarum motricium, quæ reſpirationi inſerviunt, oritur, auxilium non contemnendum præbet *ſal vol. ſuccini* cum opiato combinatus; vid. *Williſ. Pharmac. rat. p. II. ſect. 1. c. 21.* Eundem quoque effectum in *tuſſi catarrhali*, à ſeri in faucibus & pulmonibus circulatione perturbatâ, idem efficit, hanc n. nihil melius quam diaphoretica, anticatarrhalia, maximè vero ſuccinata, percurant. Sic non ſolum ſuccinum in *ſubſtantia*, in variis formulis exhibitum, ad *tuſſim à materia tenui* laudatur, ſed ſæpius deprædicatus *ſal. volat* & *Liqu. C. C. ſuccin.* cum *opiato* maritati utramque inprimis abſolvunt paginam. e g.

℞. *liqu. C. C. ſuccin.* ʒij. *eſſ. opii* ♀ *ſat.* ʒß.

M. doſis eſt gtt. 40. 50. 60. expectando ſudorem. Non enim ſolùm acrimoniam irritantem abſorbent, &

lymphæ motum naturalem reſtituunt, ſed ſuperfluam etiam eliminant, & ſpirituum motus heterogeneos componunt. Ob eandem quoque incraſſandi & abſorbendi virtutem in *ſanguinis ſputo*, maximè ſi à catarrho acri foveatur, ſuccini pulvis tàm in pilulis, quam electuario, aliisve formulis, maximis effertur laudibus, ſicuti præ cæteris hâc fini etiam *Trochiſci de Carabe* ſeu ſuccino ab omnibus commendantur. De *Cordis* affectibus, *languore virium, lipothymia, ſyncope, palpitatione cordis*, non eſt, quod ſeorſim prolixiora faciamus verba, cùm in his *ſalem volat.* & *oleum ſuccini* cum ſalibus volatilibus & oleis aliis, pari paſſu ambulare apud omnes conſtet. *Vid. Williſ. libro ante cit. part. 1. Sect. VI. c. 3.*

§. IV.

Ex ſuperius dictis, quod nempe medicamenta ſuccinata urinæ ſeparationem promoveant, nunc ſpontè ſequitur, uſum eorum ſingularem eſſe in iis adfectibus morboſis, qui ſecretionem iſtam lædere aſſolent. Talis verò eſt *iſchuria*, in qua, ſive ex ſanguinis compage craſſiori, ſeu grumis, vel ſero coagulato; ſive atonia fibrarum renalium ortum ducat, præſentaneam opem confert ſuccinum. Priori enim caſu tam *trochiſci de Carabe*, quàm ⊖ *volatilis* cum *ſpermate ceti* commiſtus, ob inſignem vim reſolvendi & nervos roborandi, mirum quantum conducunt, præprimis ſi opiata etiam refractâ doſi eisdem jungantur, ut ſpirituum motus ἄτακτοι tollantur. Conſimilem effectum in membranarum veſicæ relaxatione quaſi paralytica, & inde orta *iſchuria* ac *dyſuria* præſtat, hanc enim præmiſſis præmittendis ab olei ſuccini ad gtt. vj. repetito uſu ſublatam ſcribit *Thonerus in obſervationibus p. 175.*

§. V. In

§. V.

In *renum* quoque *exulceratione*, *&* *reliquorum viscerum abscessibus* ruptis consolidandis, egregiè tùm in *substantia*, tùm in *essentia* & *balsamo* ♀ris *succinato* conducit succinum, præprimis si cum *balsamo Peruviano* vel in pillulis vel essentia combinetur. In *calculo* porrò & conjuncta *nephritide* seu dolore regionis renalis, virtutem resolventem & anodynam, si quid aliud, exerit. Exhibetur verò tàm in *oleo* ad guttas aliquot, quam ⊖*le volatili*, ex quo unâ cum *spermate ceti, lap.* ♋, additis pro re natâ *cinnabari* & *opio*, pulverem nephriticum egregium parat supra laudatus *Dn. D. Wedelius de Medicam. facultat. l.1. sect.3. c.9. p.113.* Parili fine quoque externè in *litibus variis*, cum *oleo scorpion.* aliisque, tùm pro *renum calculo*, regioni lumbari, tùm *vesicæ* etiam, regioni pubis illinendo, adhibetur.

§. VI.

Præ ceteris verò succinum & succinata *lymphæ ejusq; vitiis* dicata sunt. Tollunt enim non tantùm acrimoniam ejusdem, sed motum quoque inordinatum & impeditum miris modis restituunt. Hinc est quod omnium *catarrhorum* medela & solatium audiat succinum, quippe qui nihil aliud, quam variæ lymphæ stagnationes, tùm in glandulis, tum vasis lymphaticis, & effusiones ex glandulis inprimis conglomeratis, à viscositate, acredine, lymphæ, indeq; ortâ irritatione productæ. Ubicunque enim stases ejusmodi in corpore contingunt, succinum præ cæteris, tùm purgantibus associatum, v. g. *pill. de succino Cratonis*, tùm loco diaphoretici & alterantis quoque, in ⊖*le volatili*, *liquore C.C. succinato*, *oleo*, *elæosacchar*o, ~u ⊖*ci succinato*, *essent. myrrh. cum eo parata*, *balsam.* ♀*ris succinato.* &c. & quidem cum, vel sine opiatis exhibitum, opem præstat. In omnibus

 igitur

igitur catarrhorum ſpeciebus, ut *coryza, tuſſi catarrhali, doloribus*, e g. *capitis, colli, dentium, artuum, ex catarrhali defluxione* ortis, jam dicta locum habent. Neque interne tantùm, ſed externè quoque adhibitum, his malis cummaximè ſuccinum adverſatur, inprimis in ſuffitu, pro quo excitando vel ſolùm recipitur, vel cum aliis miſcetur, e g. *gumm. animæ, thur. maſtich. tacamahaca* &c. Huc facit *ſuffimentum de ſuccino Mynſ. in armam. ſ. XI. p. m. 189*. Pro *linimento* quoque in *catarrhis capitis* & *Coryza, oleum ſuccini* vertici illinendum nonnulli commendant, ſed cautos in ejus uſu nos eſſe jubet *Celeberrimus Wedelius de medicament. facultat. l. 1. ſect. 3. c. 1. p. 83.* facilè enim materiam nimis liquando, & in vaſa præcipitando, febrim, & alia mala graviora excitare poteſt. Ex eodem capite ſuccinum pulveriſatum in *cataplaſmate* cum *fermento* & 🜄 in *uvulæ* prolapſu, comuni chirurgorum experimento, adhibetur, quod, etſi per ſe non contemnendum ſit remedium, cauſa tamen, quæ huic aſſignatur effectui, maximopere fallit. Exiſtimatur enim vulgò, ſuccinum vi electricâ uvulam attrahere, quod falſiſſimum, ſiquidem, ut alia taceam, planè ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ut per denſum ſatis cranium, crebrum & oſſa cerebro ſubſtrata, vim ſuam exerere poſſit, cùm, interpoſitâ chartâ tenui inter ſuccinum & rem attrahendam, eandem amittat. Hancce virtutem citra ſuccinum exerit quoque in hoc caſu fermentum cum 🜄 optimo ſubactum, diſſipando ſerum. In faucium partibus glanduloſis inflammatis, ſeu ipſiſſima *angina, emplaſtrum* ſuum *magneticum ex ſuccino* dilaudat *Cnœffelius appendice Ann. VI. Ephem. Germ.* Idem emplaſtrum, ut & *Ludovicianum* ſupra laudatum, non ſecus ac *diaphoreticum Mynſ.* in *tumoribus glandularum* ipſisque *ſtrumis* eſt egregium.

§. VII. Ex

§. VII.

Ex adfectibus cerebrum, ſpiritus animales & nervoſum ſyſtema adfligentibus, non pauci quoque ſunt, in quibus ſuccinum vires nervinas atque anodynas, ſupra ipſi adſcriptas, ſingulari cum ἐνέργεια, in actum deducit atq; commonſtrat. In *adfectibus ſoporoſis, caro, comate*, cum aliis ſuccinum laudatur à *Williſio de anima brutorum p. 2. c. 4.* In *vertigine* porro tam eſſentiali, quam ſympathica à ventriculo, curandâ, primas tenent remedia ſuccinata e. g. ℞. *de ſuccin. Cratonis, ſuccinum pulveriſat.* cum aliis *cephalicis* maritatum; ut in *ſpecifico cephalico Michaelis, epileptico Ludovici*, &c *ſpiritus & ſal volatilis* aliis ſociatus, it. pulveribus cephalicis additus; ipſum denique *oleum*, tùm internè aſſumtum, tùm externè vertici, temporibus, & regioni ſtomachali inunctum. Quam in rem exemplum ſingulare memorat inclytus famâ celebri Medicus *Etmüllerus in colleg. practico:* ſtudioſum nempe hypochondriacum continuâ vertigine tam ante, quam poſt paſtum adfectum, cum fruſtra eſſent reliqua medicamenta, *oleo ſuccini* tùm internè ad gtt. vj. vij. viij. in hauſtu cereviſiæ circa prandii cœnæque finem exhibito, tùm externè regioni ſtomachali illito, reſtitutum fuiſſe ſcribit. In *epilepſia, motibusque convulſivis* quam & promittat & præſtet efficaciam, jam ſupra ſub virtutum generalium titulo innui, & ex cauſis manifeſtis deduxi, unde non eſt, quod ad peculiarem cum luna, & conſequenter cerebro, συμπάθειαν, cum *Dionyſio Afro* recurramus. Conveniunt in hac *pulveres epileptici* varii ex ſuccino præprimis conflati, in quibus præ reliquis omnibus eminet *Ludovicianus* ille, quem deſcriptum reliquit in *in pharmac. p. 642.* *Eſſentiæ* etiam ſuccineæ & *ſalis volatilis* in hoc malo præſtantia notior eſt, quam ut eam

hic

hic latius deprædicare necesse sit, sive per se exhibeantur ista, seu cum aliis maritata. Sic ℞*a* cum ∽ ⊖*lis* ✱*ci* mixta, *sal volatilis* cum ∽ *sanguinis cerv. spiritu sanguinis* aut *cranii humani*, divina hic præbent remedia. Destillantur hunc in finem à nonnullis ex *succino* & *cranio humano* spiritus atque oleum, quæ rectificata in convenienti liquore exhibentur. Externe convenit etiam *oleum succin.* vertici, temporibus, naribus, ut & linguæ inunctum, in quo tamen modus servari debet, ne post paroxysmum perturbatio capitis ac dolor suboriatur, id quod à talibus fumosis, facile accidere potest. Eidem scopo inserviunt quoque *suffitus ex succino*, qui, etsi eos damnaverit *Langius l. 1. ep. 75.* non parum auxilii in paroxysmo abigendo præbent, & rationum atque experientiæ suffragio confirmati satis sunt.

§. VIII.

In *Apoplexia* tàm positiva, quam privativa, ob insignem resolvendi, aperiendi & penetrandi virtutem, summopere & modis omnibus, conducit succinum. Sive enim sanguis seu lympha extravasata fuerit, & poros medullæ cerebralis obstruant, medicamenta ex eo parata promtissimam ferunt opem, simulque spirituum animalium motum reddunt citatiorem. Sic pro excitando ægro, *linimenta oleosa volatilia*, ex *oleo succini, rutæ, rorismar.* parata egregia sunt, quibus nares, plantæ inprimis pedum, adhibitis frictionibus fortioribus, inguntur. Similiter tam in *apoplexia* proprie dicta, quam *aphonia* linguæ, eadem adhiberi possunt, vel eorum loco mistura ex *sale volat. succini, castoreo, oleo rutæ* similibusque, observando tamen cautelam ante memoratam. Interne verò, pro obtinendo scopo jam dicto, præmisso utplurimum vomitorio *potiones ex aquis*

&

& 🜄*bus cephalicis*, 🜔*le volat.* *&* *oleo succini* convenientes maxime sunt e. g.

℞. 🜄 *flor. tiliæ, lil. convall. c. v. aa.* ℥ij.
🜄 *ceras. nigr.* ℥ß. *liqu. C. C. succinat.* ʒij.
🝆 🜔*lat succin. gtt. iv.* M. F. potio successivè propinanda.

Nec minus vertex, spina dorsalis, tempora, inungi possunt *balsamo succini* simplici, vel composito, cum *oleo rutæ* aliisque, it. *linimentis ex oleo succin. essent. castor.* *&* 🜄 🜔 *✱ci* paratis. Eadem hæc medicamenta præservandi quoque scopo usurpari queunt, de quibus vid. *Willis. de anim. brutor. p. 2. c. 8.* In *Paralysi* quoque non tantum 🜔 *volatilis*, *oleum* *&* *essentia* interne optime se gerunt, sed externe etiam *oleum* & *essentia* partibus paralysi tactis insigni cum emolumento inunguntur.

§. XI.

Sensuum quoq; tûm internorum tum externorum morbis ex eodem fonte medentur succinum & succinata. *Memoriam* confortat succinum externe in *sacculis* interpassatis seu *cucuphis*, cum aliis cephalicis balsamicis applicatum. In *doloribus capitis* variis, sive à sanguinis, sive seri acrimonia & stasi in partibus cerebri membranaceis, internis & exteis, producti sint, 🜔 *volatilis* cum *cinnabarinis* commistus plurimum efficere solet. Par ratio est *essentiæ*. Eundem effectum præstat in *otalgia*. Laborabat studiosus otalgia enormi ex colluvie serosa circa aurem dextram, qui ab *essent. succini* cum 🜄 🜔*lis* *✱ci* interne exhibita, præsentissimam sensit opem, subsequente statim effluxu materiæ flavescentis. Neque ad dolores solùm aurium, sed *auditus* etiam *difficultatem* & *tinnitum* succini vis sese extendit, ju-

bent enim nonnulli oleum bombace exceptum auribus immittere. Verum hoc loco iterum obſervanda eſt cautela, quam proponit conſummatiſſimæ experientiæ Medicus, *Dn. D: Wedelius de Medicam: facul. l. 1. ſ. 3. c. 3. p. 8.* In *Podagra* ut & *dolore iſchiatico* diuretici & diaphoretici loco apprime quoque convenit ⊖ *volatilis ſuccini.* In poſteriori adfectu externe maxime deprædicatur *Emplaſtr. de pice Poterii, Diaphoret. Mynſ. de ſuccino Ludovici.*

§. XII.

In adfectibus tandem partium genitalium virorum æque ac mulierum compluribus inſignem præſtat operam. Ex horum numero eſt *gonorrhœa* tam virorum quam fœminarum, ut & *fluor albus.* His enim, ſi quid aliud, egregie ſuccurrit ſuccinum. Exhibetur vero modò in ſubſtantia, in *pulvere*, inprimis album, vel per ſe, vel cum *oſſe ſepiæ præparato, ♃io diaphoret.* & *opiato*, it. in *pilulis, bolis &c.* modò in *eſſentia* tùm ſolitariè, tùm R̄â *bezoardicâ* & *opii* commiſta, quibus modis & citò & tutò omnes gonorrhœæ curari poſſunt. In fœminis ſeorſim omnia ſuccinata in *menſium obſtructione*, ſive à ſanguinis cruditate acida, ſive ejusdem crasſitie, ſive alia de cauſa originem ducat, maximè proſunt. Convenit verò præ ceteris ⊖ *volat.* & *oleum*, utrumque vel per ſe, vel cum aliis; illud quidem cum volatilibus, e. g. in *liquore C. C. ſuccin.* hoc verò cum o͞o *juniperi, ſabinæ*, quæ omnium fortiſſimè pellunt, h. e obſtacula tollunt, ſimulque particulas ſanguinis, ſulphureas quantitate augent, ut eò promtius ad fermentationem naturalem redeat. Uti autem in genere omnia ea, quæ menſes movent & fœtum pellunt, ita etiam ſuccinata hæc apprimè & *partum* tam *vivum*, quam *mortuum*,

lochio-

lochiorumque fluxum promovent. Adhibetur hunc in finem *elixir uterinum* ſupra laudatum, vel *eſſentia* tantum *ſuccini* aliquantum caſtoriſata ad gtt. 24. 30. repetitis vicibus data, de cujus effectu vid. *Ludov. Miſcell. nat. curioſ. ann. IX. obſerv. 35. p. 101.* Præter eſſentiam convenit etiam *oleum* abdomini inunctum, quod & dolores lenit, & nervorum genus roborat. Ex *mulierum morbis* ſuccinata remedia denique appropriata ſunt iis ſymptomatibus, quæ ab utero vulgò oriri creduntur, reverà autem nihil aliud ſunt, quam adfectus nervoſi generis, quacunque de cauſa irritati. Succurrit hiſce ſuccinum tum virtute abſorbente, in *ſubſtantia* & *pulveribus fixis, cum* ☿*iatis*, ♃*alibus* & *opiatis*, tum diſſipante, diſcutiente, diuretica, diaphoreticâ & nervinâ. Cui ſcopo inſervit tum *ſal volat.* aliis nuptus in laudato *liqu. C. C. ſuccinato*, cum *eſſentia caſtorei ſpiritu* ⊖*lis* ✱*ci vinoſo extractâ*, tum laudatiſſimum *Elixir uterinum*. Hoc quippe non tantum in dictis præfocationis valde efficax eſt, particulas acres, nervorum in infimo ventre propagines, tum circa inteſtina & meſenterium, tum circa uterum & genitales partes, irritantes, abſumendo & expellendo; ſed ſymptomatis conjunctis, *doloribus capitis, lipothymiis, ſyncope*, ex conſenſuali fibrarum nervearum ſpaſmo, & ſpirituum perturbato motu ortis, ſummè proficuum. Quin & *dolores poſt partum* mitigat ac tollit *carminativis* combinatum, ut *ſ*~*tu carminat. eſſent. carminat.* &c.

§. XIII.

Atque hi ſunt affectus interni potiores, in quibus rationis ductu & experientiæ ſuffragio inſigne aliquod juvamen promittit ſuccinum. Externe vero haud adeo fre-

quens ejusdem uſus deprehenditur apud Practicos, unde quoque non eſt, quod de eo latius agamus. Taceri tamen non debet *vis travmatica* egregia in *oleo craſſo* reſidua, quæ ad *olei* ♀*ri fœtidi* virtutem proxime accedit. Illud itaque in *vulneribus* & *ulceribus* partium externarum variis conſolidandis locum non ultimum obtinere poterit, tum per ſe, tum cum dicto ☍ ♀*ri* & *balſam. de Peru* mixtum. Atque hæc ſine dubio cauſa eſt, cur à nonnullis ad *gangrænam* & *combuſtiones* commendetur. His vero ſuccini uſibus contenti mittimus illos effectus, qui citra duplex illud Medicinæ fundamentum, rationem & experientiam, eidem tribuuntur. Talis eſt vis probandi virginitatem, quam eidem adſcribunt *Matthiolus in Dioſc.* & *Albertus Magnus*. De mechanicis uſibus ſuccini latius diſquirere noſtri non eſt inſtituti : vel verbo tamen memorandum eſt artificium *Kerkringii*, qui ſuccino liquato mediante cadavera integra à corruptione præſervare & in eo tanquam mauſolêo condere potuit, ut ipſo iterum condenſato pellucerent. Qua de re vid. *Morhof.* in *Epiſt. ad Langelottum*.

T A N T U M.

